
E n





L.C.P. Feb. 21. 1833. →

Johann Friedrich


IO. FRIDERICI WEIDLERI
INSTITVTIONES GEOMETRIAE SVBTERRANEAE

EDITIO ALTERA
AB AVCTORE RECOGNITA



CVM FIGVRIS AENEIS

VITEMBERGAE
APVD GOTTLIEB HENRICVM SCHWARTZIVM
A. C. MDCCLI



PRAEFATIO EDITIONIS PRIMAE.

Ad artes inueniendas et amplificandas, nulla re magis, quam ſpe utilitatis, animi mortalium inflammantur. Teſtis Aegyptus, ubi anniuerſaria Nili inundatio geometriam peperit. Et in Germania, poſtquam abditae olim omnis generis metallorum uenae, abhinc pluribus ſeculis, detectae et perueſtigatae ſunt, occaſio inde nata eſt, geometriam ad ſpecus ſubterraneos metiendos accommodandi. Haec ars etiamſi inter noſtros foſſores egregie floreat, tamen cum, ob faſtidia et pericula, quibus ſtipata eſt, plerumque tantum tractetur a pragmaticis, mathematicarum ſcientiarum minus gnaris, et propterea ab ipſis obſcurius nec ſolide ſatis tradatur, feci periculum, eiusdem paulo accuratius formandae, et ex certis geometriae principiis de-*

 mon-

monſtrandae. Hic ſcopus eſt praeſentis opuſculi, quod ſpero eo minus improbatum iri eruditis, quo rariores de illo argumento ſcriptores eſſe conſtat. Conſtitueram idem inſerere inſtitutionibus mathematicis, poſt hydraulicam, ſed, quia ſingularium eiusmodi artificiorum cognitio, tantum paucis, qui ea aliquando in uſum transferre poſſint, conuenire uidebatur, malui ſeparatim edere, et numeros, quorum beneficio triangula rectangula commode ſoluuntur, ſubiungere. Ceterum Lectorem latere nolo, me, huius tractationis rectius ſuſcipiendae cauſa, ſuperiore anno Freybergam, *montanarum Miſniae urbium principem, petiiſſe, et non ſolum in profundas, quae a* S. Laurentio *nomen habent, fodinas deſcendiſſe, easdemque, et reliquum metallicae rei apparatum, luſtraſſe, ſed etiam, ſpeciatim de cryptarum dimenſione illuſtranda, cum peritiſſimis huius artis uiris egiſſe, et eorum obſeruatis inſtitutiſque profeciſſe. Dab. Vitembergae,*

Non. Ianuar. A. 1726.

---

* Petrus Ramus *Scholar. mathem. Lib. II. p. m. 63.* ſequentem in modum de arte laudata loquitur: *Cum itaque de mundi nobilibus ſcholis, ſtudioſe mortales omnes, qui aliunde peregre ad nos rediiſſent, percunctarer, nulla in gente tam multas mathematici ſtudii ſcholas comperiebam, publicis ſtipendiis ornatas, quam in Germania, cauſamque unam eſſe ſubterranea illa audiebam Plutonis regna, quod maxima principibus et liberis ciuitatibus penderentur tributa, e fodinis auri argentique et ceterorum metallorum, quae geometrico innumerabilium machinarum artificio praecipue ſuſtinerentur, ac ſarcirentur.*


  





PRAEFATIO EDITIONIS SECVNDAE.

Erunt fortassis, qui uitio mihi uertent, quod denuo edam libellum, de Geometria subterranea olim conscriptum; postquam anno proxime praeterlapso, eiusdem artis praecepta, a uiris longo in ea usu exercitis, suo a me loco laudatis, multo melius luculentiusque tradita et illustrata sunt. Enim uero, cum bibliopola mihi affirmasset, opusculum hoc, cuius exemplaria pridem diuendita sunt, a nonnullis adhuc desiderari, uoluntati eius obsistere nolui, sed selecta saltem quaedam annotamenta, quae positionibus uberiorem lucem affundere posse uidebantur, passim inspersi. Vitembergae d. XX. Sept. A. MDCCL.



DEFINITIO I.



Geometria *subterranea* est ars fodinas metiendi. Germanis uocatur *die Markscheide-Kunst.*

DEFINITIO II.

2. Totum hoc artificium commode ad *tria* praecipua potest reuocari capita. *Primum* agit de *dimensione cryptarum*, secundum inclinationem ad horizontem, et directionem ad mundi plagas. *Alterum* docet *modum accedendi ad easdem*, tum ex terrae superficie, tum ex locis subterraneis, adeoque de distantiis puncti fodinae cujuslibet, a dato supra, uel infra terram, puncto disquirit. *Tertium* spectat ad *descriptiones fodinarum* ichnographicas, orthographicas et scenographicas.

CONSECTARIUM.

3. Inde fluit, tum usus huius artis ingens, tum officium mensoris. Nempe debet ille 1) definire *spatia*, infra quae metalla quaerere alicui est concessum. 2) monstrare accessum *proximum ad specus*. 3) indicare *uias*, per quas *aquae* e fodinis *abduci* queant. 4) determinare *extensiones*, *capita* et *concursus uenarum* et *fibrarum metallicarum*. 5) promouere *circulum aeris* in fodinis, et *exhalationem uaporum noxiorum*, et quae sunt similia. Vide plura de officio mensoris in GEORG. ENGEL-

HARDTI LOEHNEYS, *Bericht vom Bergwerck*, f. 212. seq. et ABR. A SCHOENBERG, *Berg-Information*, ed. Lipſ. 1693. f. [illegible]l. 110.

SCHOLION.

4. Primus, quantum reperire potui, de hac arte ſcripſit GEORGIVS AGRICOLA, medicus Chemnicenſis, qui anno 1550. eruditum opus *de Re metallica* libris XIII abſoluit, editum poſt eius mortem Baſileae, anno 1556. f. cuius editionis paginae in praeſenti tractatu indicantur. Libro enim III. p. 37. deſcribit inſtrumentum metallicum quod uocat, ſignificans mundi partes, ſiue capſulam, in cuius medio orbe cauo index magnetinus ſuper acu mobilis eſt, quem circulus in 24. partes, ſiue horas, diuiſus ambit. Docet, quod tot mundi partes faciant metallici, quot olim uentos numerarunt graeci et romani, quamobrem nomina uentorum uel plagarum latina horis inſtrumenti metallici adſcribit. Dum autem uſum compaſſi, pro ſitu flexuque uenarum explorando, exponit, iubet p. 38. ut, propter naturam magnetis, qui ferrei indicis aciem in meridiem dirigit, metallicus iam deſcriptum inſtrumentum ſic ſtatuat, ut ortus ei ſit ad ſiniſtram, occaſus ad dextram. Quarto libro formam demenſi, quadrati et longi, quinto artis menſorum principia enarrat. Agit enim de triangulorum diſcrimine, ſemicirculo et circulo, et ſigula eiuſdem, de pertica menſorum, libella ſtatiua et penſili, ſiue ſemicirculo ancis praedito, quo ex funiculo ſuſpenſo, quantum fodina uel cuniculus uel inclinetur, uel aſſurgat, innoteſcit: nec non de inuenienda puteorum et fodinarum longitudine et inflexione, et de diſtantia locorum in fodinis, et in ſuperficie terrae, deſignatorum, dirimendisque, quae inter poſſeſſores uenarum oboriuntur, controuerſiis, nec non de terra perfodienda, ut foſſae latentes uel cuniculi producantur. Verum haec, et alia ſimilia, tantum ſummatim commemorat, ut ſolutio quaeſtionum huiusmodi ex AGRICOLA ſatis intelligi et diſci nequaquam poſſit. Haud diu poſt AGRICOLAM geometriam ſubterraneam, tractatu germanico data, opera tradidit ERASMVS REINHOLD, medicus Salveldenſis in Thuringia. ERASMI aſtronomi filius, titulum libello fecit: *Vom Marſcheiden kurzer und gründlicher Unterricht*, prodiit, una cum geometria practica, Erfurthi a. 1574. 4. In praefatione monet, utrumque librum a patre coeptum, a ſe uero abſolutum eſſe. Neceſſariam autem putauit, eius editio-

editionem, quia paucis tum ars nota erat: scilicet quippe ab empiricis occultata, qui tamen propter imperitiam, in ipsa praxi saepius aberrabant. In principio compassi uulgaris imperfectionem accusat, cuius exiguus circulus partium minutarum diuisionem non capit. Quapropter quadrantem nouum ligneum substituit, cuius radius pedis magnitudinem habet: arcus uero in partes 540, siue singula dena minuta, diuiditur. Huic applicat indicem, dioptras et filum cum pondere, in eoque loculum orbicularem cauat, ubi acus magnetica uitro tecta asseruatur, ut organo sic instructo, tam casus uenarum et fodinarum, quam directio in plagas horizontis subtilius dignoscatur: praeterea libellam semicircularem, uncis praeditam, laudat, cuius etiam AGRICOLA p. 104. meminit. His organis, adminiculo tabulae sinuum contractae, singulis denis minutis gradus accommodatae, ubi sinus totus partium 1200 assumitur, mensionem fodinarum aggreditur, eiusdemque regulas uel praecepta, sed nuda, et absque demonstratione, atque ideo obscurius, tradit. Ipsae problematum solutiones eiusmodi sunt, ut in longioribus fodinis, et multangulis, uix absque errore, uel saltem magna cum molestia, locum habere possint. Scilicet REINHOLDI aetate ignotus adhuc erat compassus pensilis, qui reperiundis fodinarum flexibus uariis, nihil impediente earum lapsu, inseruit. Postquam enim hoc instrumentum metallariis obuenit, tota geometria subterranea nouam faciem induit. Dn. BEYERVS in *geom. subt. p. 27.* inuentorem eius laudat BALTHASAREM ROESLERVM, dignum omnino, cuius memoria hic recolatur. Floruit ROESLERVS seculo superiore, et geometriam subterraneam exercuit GRAESLIZII, in patria sua a. 1634. deinceps a. 1649. seq. Freibergae et Altenbergae, ubi a. 1673. anno aetatis 67, uitam cum morte commutauit. Haud diu ante obitum finiuit opus eximium, cui titulum fecit: *Berg-Bau-Spiegel*, libris VI comprehensum, in quo omnia, quae ad metalla eruenda, praeparanda, fodinasque et machinas instruendas, conseruandas, totamque rem metallicam prudenter administrandam, pertinent, copiose et solide enarrat. Speculum hoc metallariorum annis quinquaginta in priuatis scriniis latuit, et ab harum rerum studiosis saepe descriptum et magni aestimatum fuit; qualem codicem manu exaratum ante aliquot annos nactus sum: ex archetypo idem edidit, et a mendis, quae describentium incuria irrepserant, purgauit, ROESLERI nepos, IO. CHRISTOPHORVS GOLDBERG,

BERG,

BERG, Magiſter metallariorum, et Geometra Altenbergenſis, Dreſdae, 1700. fol. idem de sui meritis in rem metallicam, et de emendata eius ſtudio geometria ſubterranea, in praefatione diſſerit. Quamquam autem ex his teſtimoniis, quam egregie ROESLERVS geometriam ſubterraneam locupletauerit et perfecerit, ſatis conſtat, ipſe tamen ROESLERVS in *Specul. metallar. Lib. IV. Cap. I.* ubi de eadem arte generatim diſſerit, tam modeſtus eſt, ut incrementorum, quae ſua opera et ingenio illi arti acceſſerunt, nullam omnino faciat mentionem.

A. 1686. Islebiae f. NICOLAVS VOIGTEL, Decumanus Islebienſis, germanico idiomate uulgauit *Geometriam ſubterraneam, oder Markſcheide-Kunſt*, recuſ. ibid. a. 1713. f. capitibus XXV. abſoluitur. Praemittit logiſticae decimalis praecepta, et nonnullas geometriae ueritates elementares, deinceps agit de organis menſorum, magnete, tabulis ſinuum et uſu earum; tum menſionem fodinarum, etiam earum, in quibus ferri minera magnetis directionem perturbat, nec non librationis, et deriuationis aquarum artificia docet, praecepta exemplis et figuris perſpicue illuſtrat, et monita ac cautiones, ad praxin feliciter exercendam utiles, immiſcet.

A. 1710. Francofurti ad Oderam, 8. LEONH. CHRISTOPHORVS STVRMIVS, in appendice compendii mathematici, germanice conſcripti, pag. 44. de geometria ſubterranea quaedam tradit, ſed tantum in primis artis illius rudimentis ſubſiſtit.

A. 1744. Berolini, 4. prodiit IO. GOTTFRIED IVGELII *gründlicher und deutlicher Begriff vom Bergbau, Schmelzweſen und Marckſcheiden*, ubi idem argumentum ſummatim et conciſe pertractaſſe dicitur. Ipſum opus nondum uidi. Conf. ANON. *prolegom. geom. ſubterr. p. 21.*

Denique anno ſuperiore 1749 duo egregia huius generis opera prodierunt, in quibus geometria ſubterranea, qualis hodie floret, a uiris eius rei peritiſſimis, tam luculente, tam copioſe et ſolide, explicatur, ut nihil eorum, quae ad fundamenta cognoſcenda, et ad praxin rite tractandam pertinent, deſiderari in poſterum poſſe uideatur. Alterum titulum gerit: *Anleitung zur Markſcheide-Kunſt, nach ihren Anfangs-Gründen und Ausübungen kürzlich entworffen*, Dreſdae 1749. 4. in fine accedunt tabulae logarithmorum numerorum uulgarium ab 1. ad 20000; nec non cathetorum ex baſium trianguli rectanguli, pro incl-

clinatione hypotenusae, ad singula minuta quinque, totaque tractatio methodo geometrarum digesta est. Auctorem huius libri esse Illustrem Dn. FRIDERICUM GUILIELMUM DE OPPEL, in regia rerum metallicarum praefectura suprema Freybergae consiliarium, ex nouis literariis Lipsiensibus anni 1749. mens. Iul. p. 541. didici. Alterum inscribitur: *Gründlicher Unterricht vom Bergbau, nach Anleitung der Markscheide-Kunst*, auctore AUGUSTO BEYERO, Regio rerum metallicarum Commissario, Geometra, Senatus Scabinatusque Freybergensis Assessore, Schneebergae 1749. f. Scilicet amplissi. Dn. BEYERUS, postquam continuis annis LII publico mensoris officio magna cum laude functus est, et intra tam longum tempus, multos hanc artem docuit, et cum discipulis praecepta sua iampridem communicauit, tandem rogatu hortatuque amicorum permotus, ea auctius et correctius in lucem edidit, et communi discendi cupidorum usui laudabili solertia destinauit.

DEFINITIO III.

Figur. 2. 5. In triangulo rectangulo ABC, AB cathetus, germ. *Seigere-Teuffe*, BC, basis, germ. *Sohle*, AC hypotenusa, germ. *die Fläche*, it. *Donlege*, uocatur.

DEFINITIO IV.

6. Horae, *Stunden*, sunt partes uigesimae quartae circuli, qui in pyxide acum magneticam cingit. Et quaelibet pars horaria in octo aequales diuiditur.

SCHOLION.

7. Quamobrem autem mutauerint mensores diuisionem circuli communem et peruetustam, in gradus 360, quippe quae iam dudum PTOLEMAEO *Magn. Compos. Lib. I. Cap. VIII.* placuit, et quare in eius locum sectionem in particulas 192 receperint, illius rei non incongruam uidentur rationem reddere, qui suspicantur, ideo id fuisse factum, quia in paruo circulo, cuius diameter est 2 uel $2\frac{1}{2}$ digitorum, partes trecentesimae ex sexagesimae nimis euadunt minutae, ut non satis accurate ab apice acus monstrentur, partes uero octauae horarum,

in

in exiguo eiusmodi ambitu, paulo magis conspicuae sunt, ut, in tenebris cryptarum, candelae lumine satis illustrari possint. Interim recepta illa diuisione minutorum 192 constat, semicirculum 96, et quadrantem 48 particulas continere.

DEFINITIO V.

8. Singulae horae sex, cuiuis quadranti debitae, a plaga proxima nomen habent. Itaque circa meridianam utrimque positae horae 12-3 et 9-12, dicuntur *meridionales*, uel *septentrionales;* quae autem sunt prope puncta orientis et occidentis utrimque collocatae, a 3-6 et 6-9, *orientales* et *occidentales* nominantur.

DEFINITIO VI.

9. *Cauerna perpendicularis* AB a summo ad cryptas demissa, per quam eo descenditur, uel aer admittitur, uel metalla extrahuntur, inposterum *puteus*, germ. *ein Schacht*, dicetur. Eius amplitudo differt, prouti uel soli descensui destinatur, uel una extrahendis ex cauerna metallis et lapidibus, machina nempe tractoria, super eum statuta, aptatur; priore casu, perticae metallicae dimidiae latus sufficit, altero casu, latitudo dimidiae perticae seruatur, et longitudini pertica una additur. *Figur. 1.*

DEFINITIO VII.

10. *Cryptarum* uel specuum (*Gruben*) nomine generali inposterum significabimus caua subter terram facta. Appellationes reliquas, germanis praesertim usitatas, onomasticorum scriptores deinceps laudandi exponunt.

DEFINITIO VIII.

11. Inter cryptas inprimis memorabilis, et peculiaribus quoque iuribus a reliquis secreta est, quam *cuniculum*

(*Stolln*) dicunt. Qui nempe decliuo ductu, per unam pluresue fodinarum regiones, (ſympoſia, *Zechen*) agitur, ut per eum ad fodinas aeris liberi circulus producatur, halitusque foſſoribus noxii auertantur, et aquae etiam undiquaque ex terra prorumpentes, collectaeque, in proximas ualles deriuentur.

DEFINITIO IX.

12. *Situs* ſpecuum, tum qua obliquitatem ad horizontem, ſiue lineam horizontalem, tum qua partes uel plagas mundi, ſpectari poteſt. De poſteriore, ſuo loco agetur. Quoad primum uero, hic explicanda eſt diuiſio cryptarum *in ſurgentes*, uel *aſcendentes*, (*ſteigende*) et *in cadentes*, (*fallende*) *illae* ſunt, quae ſupra horizontalem, in qua obſeruatio inſtituitur, ad uerticem attolluntur, ſiue, in quibus filum, ex quo pondus in libella dependet, ante normalem cadit. Cadentes ſunt, quae infra horizontalem, in qua fit obſeruatio, inclinantur, ſiue, in quibus filum libellae a pondere ſuo poſt normalem trahitur. Obliquitas fodinarum uocatur germanis menſoribus *die Donlege*.

CONSECTARIVM.

13. Haec de ſurgentibus uel cadentibus fodinis obſeruatio omnino ad mutuam proximarum poſitionem pertinet. Nam dum deſcendit menſor per cauernam inclinatam, caſum eius notare debet, ſi uero ex imo ſurſum pergendo menſuras caperet, fieret aſcendenti ſurgens fodina, quae deſcendenti cadens erat. Quamobrem ad locum, ubi inclinationes notantur, reſtrictas uolui definitiones. Praeterea, cum eleuationes uel caſus ſpecuum perpendiculis aeſtimentur, apparet, pro eadem hypotenuſa ſimiles eſſe cathetos aſcenſus uel caſus, de quo inferius dicendi locus erit.

DEFI-

DEFINITIO X.

14. *Loci* uocabulum uarias penes metallarios significationes habet: 1. *Locus* (*Ort*) notat extremum fodinae, quousque porrectum est. Et hoc speciatim *locum terminatum* (*ganz Ort*) nominant. 2. *Loca* (*Oertungen*) finitoribus sunt quaeuis definita fodinarum puncta, nonnunquam etiam signis, u. gr. crucis, lapidi insculptis, distincta. Quibus quando respondentia in externa terrae superficie monstrantur, praxin talem artifices uocant, *Oertung an Tag ausbringen.* Et *palus* pro loco signando positus, *localis*, *Ortpflock*, *Ortpfahl*, *lapis* uero *terminalis*, in extremo areae, uel soli ad fodinam relati, *der Lochstein*, germanis dicitur.

SCHOLION.

15. Haec de praecipuis nominibus, ad institutum nostrum inprimis spectantibus, praemonenda erant. Reliqua uocabula technica metallifossoribus usitata, iam olim prolixe enumerauit, et latine uertit GEORGIVS AGRICOLA, sub finem operis de *re metallica*, *p.* 539. *seq.* praeterea eadem peculiari indice alphabetico explicata occurrunt, in ABRAHAMI A SCHÖNBERG *Berg-Information*, ed. Lipsiae 1693. f. ROESLERI *Speculo metall.* sub fin. G. C. KIRCHMAIERI *Institutionibus metallicis*, Viteb. a. 1687. 4. CHRISTIANI BERWARDI *Lexico peculiari*, Francof. 1684. 4. ed. item *in* ANON. *ueueröfneten Bergwerk*; qui tractatus insertus est *Part. III. des geöfneten Ritterplatzes*, *Num. II. p.* 127. add. D. CHRISTOPH. HERTWIG *vollkommenes Bergbuch*, ed. Dresdae 1710. fol. et IO. CHRISTOPH. NEHRING *Lexicon politicum*, Append. II. *von Bergwerks-Terminis.* Superest, ut instrumentorum necessariorum descriptionem afferam.

DEFINITIO XI.

16. Mensura, finitoribus metallicis usitata, est pertica breuior, quam *ulnam* siue *orgyiam* nominabimus, quia lineae, quae inter manus expansas continetur, fere aequalis

eſt. Germanice *Lachter*. (GEORG. AGRICOLA, de *Re metall. Lib. IV*. paſſum uocat.) Haec ulna in octo partes quaſi totidem pedes diuiditur. Octaua pars decadem digitorum capit, qua ratione ulna 80 digitos complectitur. Digitus uero iterum in 10 lineas uel ſcrupulos ſecatur, atque ita ulna menſorum capit 800 lineas uel minuta, eidemque proportioni etiam tabulae accommodatae ſunt. Longitudo huius perticae non ubiuis eadem eſt; *Freybergae* capit $3\frac{1}{2}$. ulnas breues, ſiue cubitos Dreſdenſes, et ſi Freybergenſi tribuantur partes 500. *Ioachimthalenſis* habet ſimiles minutias 493. *Islebienſis* 507. *Clausthalenſis* 485. Vlna Freybergenſis 6 pedibus, 3 digitis, $10\frac{3}{4}$ lineis Rhenolandicis aequiparatur.

SCHOLION I.

17. Numerus ulnarum metallicarum et partium eius opportune deſignatur circulo et uirgulis, quibus notis hodie in geometria practica perticae et partes eius ſignificari ſolent,

e. gr. $\overset{0}{4}, \overset{\prime}{5}, \overset{\prime\prime}{7}, \overset{\prime\prime\prime}{9}$ denotant 4 ulnas, 5 pedes ſ. partes ulnae octauas, 7 digitos pedis decimales, et 9 ſcrupula, quae prima uel minuta nominantur; quamuis nomen linearum, in geometria practica uſitatum, rectius illis congruere uideatur. Ceterum, ſeruata hac ulnarum partitione, arithmeticae mediocriter peritus facile intelliget, quomodo talium numerorum heterogeneorum additio, ſubtractio, multiplicatio et diuiſio fieri debeat. Scilicet *additio* et *ſubtractio* reductione ad ſpeciem minimam opus non habet, (§. 48. 53. arith. citantur autem in hoc tr. paragraphi inſtitutionum matheſeos, a me quartum editarum) quia in lineis uel minutis et digitis, quotiescunque decas in ſumma continetur, toties unitas ad proxime ſequentem claſſem addi debet, uel quoties octonarius in ſumma pedum eſt, toties unitas ad ſpeciem ſupremam ulnarum accedit: in ſubtractione uero unitas, quam proxime maior ſpecies mutuatur, uti loquuntur, uel decas eſt digitorum et ſcrupulorum, uel octonarius, ſi unitas ulnae in pedes reſoluatur,

e. gr.

	° ′ ″ ‴			
e. gr.	18, 7, 1, 6.		28274.	
	9, 3, 5, 8.	add.	18716.	subtr.
	28, 2, 7, 4.	Summa.	9358.	differentia.

Multiplicatio itidem absque reductione peragitur, praesertim, si numerus multiplicans paruus sit; in locum enim maioris factores dispersi substituuntur. (§. 76. arith.) Quae uero in singulis productis continentur integra, diuisione per 10, in digitis et lineis, uel per 8, in pedibus, facile reperiuntur, et ad proxime sequentem maiorem speciem referuntur,

e. gr. 4579. (° ′ ″ ‴)
6.
factum. 28274.

per factores dispersos factum.

4579. X 6.
9358. 2.
28274. 3.

In *diuisione* satius est, reductionem adhibere ad speciem minimam, eaque per datum numerum diuisa, quotum, qui prodit, denuo ad species maiores reuocare. Prior praxis multiplicatione cuiuslibet speciei maioris per partes suas, altera diuisione speciei minoris quotientis per partes, ex quibus componitur, absoluitur, quemadmodum in arithmetica heterogeneorum docetur. (§. 77. arith.)

e. gr. 28274. (° ′ ″ ‴)
8.
226. pedes.
10.
2267. digiti.
10.
22674. minuta s. lineae.

fiat reductio ad species minores, addito semper ad facta numero speciei similis, qui in exemplo occurrit.

22674 | 3779. lineae.
diuisor. 6

fiat linearum ad species maiores reductio per diuisionem:

digiti.

digiti. pedes.

5

37759	3757	37	4 ulnae, 5 pedes, 7 digiti, 9 minuta.
10	10	8	

SCHOLION II.

18. VOIGTEL sub principium libri sui, doctrinae caussa, et ob facilitatem calculi decimalis, ulnam in 10 partes secuit, decimam in 10. alias diuidi uoluit, partes eiusmodi decimales ipsi ueniunt nomine scrupulorum, primorum, secundorum, tertiorum, iisdemque quibus geometrae perticam, pedes, digitos et lineas notant, characteribus *o. i. ii. iii.* significantur. Verum nondum illa methodus, in se licet laudatissima et perfectissima, omnibus sese probauit, quare usitatam diuisionem retinere, et tabulas quoque illi conformare malui.

SCHOLION III.

19. Cum magnitudo ulnae fossorum fere aequalis sit mensurae molitorum, summus aliquis et rerum metallicarum peritissimus uir suspicatur, quod forsan hi primi metallis in Misniae montibus indagandis operam dederint, uel saltem regendis eiusmodi laboribus adhibiti fuerint, tanquam gnari artificiorum, quibus aquae opportune deriuantur, et machinamenta uaria componuntur. Hanc mensuram metallicam GEORGIVS AGRICOLA de *re metall. Lib. IV. p. 55.* ex graecorum consuetudine ad germanos defluxisse arbitratur, quia pes metallicus prope accedit ad longitudinem pedis graeci.

SCHOLION IV.

20. Vt ulna metiendis cryptis recte applicetur, definitur tenuibus filis aeneis connexis, praeterea tamen filum cannabinum, spissitudinem caulis pennae habens, in quo ulnae aliquot lamellis cupreis appensis numerantur, ad manus esse debet, ut extra fodinas serena tempestate mensio eodem suscipiatur, et in fodinis quoque idem extendatur. Intra terram uero, utpote ubi plerumque humidus aer est, filum tale saltem inueniendae cryptarum directioni seruit, longitudo linearum ulna orichalcea uel lignea mensuratur. nam funiculi humoribus imbuti repente contrahuntur. (§. 44. Aerometr.) Sed ne longior funiculus pondere suo curuetur, et inclinationem linearum perperam significet, ultra sex uel octo passus extendi non debet. Vtile etiam est,

eſt, afferre in fodinas, quatuor uel ſex *cochleas aereas*, capulis ligneis inſtructas, quibus tanquam terebris funiculus tenſus firmari locis opportunis queat. Figura O cochleae imaginem ob oculos ponit. *Tab. I.*

DEFINITIO XII.

21. *Libella*, *Waſſer-Waage*, *Grad-Bogen*, eſt ſemicirculus ex tenui orichalci lamella paratus, in ſingulos gradus integros et dimidios, uel partes gradus quartas, diuiſus, uncinulis conuerſis, et pondere, ex filo in centro firmato, uel ex pilo equino, penſili inſtructus, diametrum habens 6 digitorum. *Figur. 3.*

SCHOLION I.

22. Compoſitio libellae ex Figur. 3. perſpicua eſt, opera modo detur, ut gradus accurate diuidantur, et ut leue ſit organon, ne funiculum oneret aut incuruet: unci libellae et compaſſi penſilis uel in unam partem, uel reciproce, alter prorſum, alter retrorſum curuantur. Nec abs re erit, pro uncis formandis laminas arctius comprimere, ut elaterio inſtructae funiculum, quem ambiunt, tenacius complectantur, et ut eo, quo ſuſpenſa ſunt organa, loco, conſtanter haereant. Magis tamen haec obſeruatio ad compaſſum penſilem, quam ad libellam, ſpectat. Nam in hac liberi et aperti unci ſint oportet, quia comprimendo uel dilatando facile turbatur parallelismus diametri et funiculi, intra uncos libellae extenſi. Situ autem illo mutato, angulorum indicatio fallit.

SCHOLION II.

23. Pro imitandis, qui libella reperti ſunt, angulis, transportatorium, quod a uulgari non differt, adhibetur.

SCHOLION III.

24. Vſus etiam eſt frequens ponderis ſolitarii, quod perpendiculum uocant, quod ex filo ſuſpenſum, ad puteorum altitudines metiendas ualet.

DEFINITIO XIII.

Figur. 4. 25. Compaſſus penſilis (*der Heng-Gruben- oder Berg-Compaß*) eſt annulus aeneus latior ECFD, uncis A et B, alioque annulo graciliore CGD, tranſuerſe in medio prioris poſito, praeditus. Intra duos hoſce annulos ex axibus, qui foraminibus in graciliore annulo exiſtentibus, inſeruntur, ſuſpenditur arcula, uel pyxis KH, in qua acus magnetica ſtilo acuminato impoſita iacet. Diameter pyxidis eſt duorum cum dimidio uel trium digitorum. In fundo eiuſdem, circa acus fulcrum, circuli peripheria deſcribitur, et in partes ſiue horas XXIV, quarum quaelibet iterum octo minutias capit, ſecatur. Plagae autem orientis et occidentis inuerſe ſcribuntur, nempe ubi in uulgaribus compaſſis occidens ponitur, ibi in compaſſo metallico oriens collocatur.

CONSECTARIVM.

26. Cum itaque in annulo tranſuerſario, pyxis circa axes ſuos facile mobilis, et praeterea utraque parte aequaliter librata ſit, ſeruabit ea ſemper ſitum horizonti parallelum, etiamſi compaſſus ex funiculo aliquo inclinatoque ad horizontalem pendeat: Quam uirtutem huius inſtrumenti non poſtremam eſſe, ex pragmatia, cui applicatur, uberius intelligetur.

SCHOLION I.

27. Vtar, Lectoris uenia, uocabulo compaſſi nouo, quia inſtrumentum ipſum nouum eſt, ueteribus, quantum conſtat, ignoratum, alias potuiſſem *amuſſium* cum VITRVVIO uocare, cuius beneficio plagarum mundi ſitus inueſtigabatur. Nec ineptum eſſet nomen *uorſoriae* uel *uerſoriae*, quod legitur in PLAVTI *Mercatore Act. V. Scen. II. v. 34.* inquit enim, *huc ſecundus uentus eſt, cape modo uorſoriam.* Siquidem ibi inſtrumentum nauticum, remonem ſcilicet aut funiculum, cuius beneficio nauis uelumue ſecundum auram uertebatur, ſignificari, uix uidetur dubitandum. Sed diſparilis tamen magneticae acus utili-

tas

tas est, quapropter nouum notissimumque nomen merito retinetur. AGRICOLA sub finem operis de *re metall.* compassum uocat instrumentum metallicum, significans mundi partes. Compassi enim pensilis inuentum aetate AGRICOLAE posterius est. Siquidem *Libro V. pag. 104. seq.* ubi mensorum organa describit, tantum, praeter libram, pyxidis magneticae iacentis facit mentionem. Compassum hunc iacentem circa finem seculi XIV in usu esse coepisse, antea uero solum quadrantem in metiendis fodinis adhibitum fuisse, affirmat DN. BEYERVS, in *praef. Geom. subterr. pag. 3.* et *Part. II. Cap. I. pag. 26.* et AGRICOLAE librum quintum, *de natura fossilium, p. 246.* testem laudat. Enim uero ibi AGRICOLA tantum mentionem facit ALBERTI MAGNI, qui circa medium seculi decimi tertii floruit, quodque eius aetate magnes repertus fuerit, qui una parte ferrum ad se traheret, abigeret a se altera contraria; de quo experimento postea §. 43. dicetur. Interea non caret probabilitate BEYERI sententia, si quidem pro certo hodie reputatur, uim magnetis, dirigendi se, et ferrum a se tactum mobile, in utrumque polum, ineunte seculo decimo quarto innotuisse: et credibile est; tam utile fossoribus inuentum, circa eiusdem seculi finem, ad eorum notitiam peruenisse.

SCHOLION II.

28. Spectat hoc instrumentum ad commode inueniendum fodinarum situm, et directionem ad plagas mundi. Inprimis uero nobis hic explicandum uenit, quam ob causam contraria ratione plagas occidentis et orientis finitores scribant: Scilicet, suspenditur compassus ex funiculis ea lege, ut semper notae S et M, quae septemtrionali et meridionali plagae adscriptae sunt, adeoque tota linea S M incidant in axem, siue lineam directionis, ipsius fodinae, cuius positus quaeritur. Et continuo quidem signum S prorsum, siue in anteriorem partem, uertitur. Quando igitur inuerse scribuntur signa Occid. et Orient. acus magnetica, ea parte sua, quae in septentrionem respicit, monstrat plagam, in quam fodina porrigitur. Ingeniose autem compassum suum ita composuere finitores, quia iam ipsa acus horam uel plagam, in quam fodina uertitur, septentrionali extremo indicat. Fac enim, cryptam a septentrione in orientem, siue a linea meridiana dextrorsum flecti, linea SM, funiculo extenso parallela, tantundem a linea meridiana, cui semper acus imminet, recedit, et punctum acus S in quadrante

drante ſiniſtro horam orientalem ſignificat; contrarium uero contingit, quando S uertitur in plagam occidentis, cuius conuerſae plagarum inſcriptionis utilitas inſpecto compaſſo ſtatim in oculos incurrit.

DEFINITIO XIV.

Figur. 5. 29. *Inſtrumentum lineationis (das Zuleg- oder Zeichen-Inſtrument*, it. *der Zulege-Compaß*,) eſt loculamentum aeneum rectangulum, dioptras DR habens, in quo compaſſus pendulus, ex annulo ſuo exemtus, horizontali ſitu poni et firmari poteſt. Linea circuli horarii SM, imponitur lineae DR, ſuper qua dioptrae (ſeſquidigitum altae, et circa axem mobiles, ita ut demitti, et eleuari iterum poſſint) conſiſtunt. Longitudo organi eſt 6 uel 7, latitudo 4 digitorum; diſtinctior eiuſdem imago Fig. V. Tab. IV. ab oculos ponitur.

SCHOLION I.

30. Vſus eius eſt, ut ductus, compaſſo penſili inuenti, horizontaliter in charta delineari queant, de quo deinceps plura; quoniam autem in charta, pro ducendis rectis lineis, officium facit, commodius erit, ſi baſis ex duriore ligno u. c. hebeno paretur. Aes enim chartam maculare ſolet.

SCHOLION II.

31. Debet igitur ſolicite cum penſili compaſſo componi, ut perfectus lineae SM Fig. 6. et laterum AE, DR, BC, Fig. 5 obtineatur paralleliſmus. Et ne pyxis magnetica ſuum in locum repoſita uacillet, aut facile motu inſtrumenti, a ſitu debito dimoueatur, annulus aeneus elaſticus illi loculamento inſeritur, qui pyxidem ambit, et ad eam commodius retinendam cochlea comprimitur. Pinnula organi altera aliquot parua foramina habet, reliquam partem integra eſt. Altera uero pinnula in medio exſecta eſt, in cuius medio uel filum foraminibus dioptrae oppoſitae parallelum, uel aenea lamella ſimiliter parallela, extenditur. Nonnulli iuxta loculum pyxidis etiam horizontale horologium deſcribunt, in quo ſtili officium filum ſericum obit, quod

per

per pinnulae foramen ex centro horologii ducitur. Et tale illi, quod ego possideo, insculptum est: quod usu non destituitur, quando mensor sine portabili horologio montanas regiones permetitur. Praeterea sic capsula fit longior, iuxta quam dioptrae, $2\frac{1}{2}$ dig. altae, applicari queunt.

SCHOLION III.

32. Vtriusque instrumenti comparatio fit sequenti modo. Nempe in planitie aliqua duo ponuntur baculi, distantes 100 passibus; alteri admouetur instrumentum lineationis, et per pinnulas oppositus baculus respicitur. Tum etiam extra pinnulas, iuxta regularum AE, CB ductum, spectatur, immoto organo, idem baculus, si utrimque baculus in linea AE, DR positus deprehenditur, recte se habet instrumentum. Siquidem ex opticis notum est, lineas parallelas in longum productas optice concurrere. (§. 56. opt.) Idem examen etiam alio exploratae perfectionis organo, parallelo situ iuxta prius collocato, cognoscitur. Dum uero ita spectatur baculus, hora ab acu indicata notatur. Deinceps funiculus inter duos baculos, uel alios intermedios in eadem linea constitutos, extenditur, et compassus pensilis ex eo diuersis in locis suspenditur, si acus horam eandem, quam in instrumento lineationis ostenderat, monstrauerit, habes utrumque organon bene consentiens, et antequam de consensu constet, neutrum tuto adhibetur. Add. VOIGTEL. p. 27.

SCHOLION IV.

33 Quia mensores perpetuo acus magneticae beneficio fruuntur, uaria circa eam obseruarunt notatu digna, quae magnam partem VOIGTEL cum curiosis communicauit *Parte IV. p. 30. seq.* ex quibus nonnulla hic repetere et subinde illustrare atque augere, operae pretium uidetur. Conf. MARINI MERSENNI *Tract. de magnetis proprietatibus*, *insertus cogitatis physico mathematicis p. 245.* et *tentamina experimentorum phys. Acad. Florentinae P. II. p. 74.* cum additamentis Celeb. Dn. MVSSCHENBROEKII. 1) Nota est *uariabilis magnetis declinatio* a meridiana, quae in diuersis locis differt, et eodem quoque loco, interiecto aliquo temporis interuallo, mutatur. Vnde saepe linea pyxidis corrigi debet ad ductum meridianae, de qua dixi in *institutionibus astron. sphaer. §. 38. seq. edit. 4.* Ceterum illud experimentum

rimentum hic inprimis commemorari meretur, quo innotuit, declinationem acus tam esse instabilem, ut quandoque in locis, quae duobus saltem milliaribus distant, differat, quapropter opera danda, ut prope cauernas, in quibus anguli compasso capti sunt, instrumento lineationis ichnographia fodinarum absoluatur. Vid. VOIGTEL. *p. 113.* Linea, quam acus, licet declinans, monstrat, a mensore pro meridiana assumi potest, modo declinatio acus, qualis tum fuit, in descriptione fodinae annotetur.

2) Impeditur uis acus magneticae *frigore*, quo quippe metalla constringuntur. Quare antequam hieme in fodinas deferatur compassus, prius in conclaui calefacto temperandum frigus, et uapor in eum incidens leniter detergendus est.

3) Curandum, ut *accurate in centro figatur stilus*, cui acus tanquam fulcro immineat, alias enim diuersae fient diuersis in arcubus graduum indicationes.

4) Tam *fulcrum acus*, quam *conus* uel *pileolus aeneus*, in quem illud immittitur, magna industria *poliri* debent, ut eo liberior acui motus permittatur. Cuspis uero fulcri aenei acuta ex chalybe paratur.

5) Stili *cuspis* nec *acuminata* nec *obtusa nimis* sit. Idem stilus, cochleae beneficio, intruditur, ut attolli aliquantum et demitti acus queat.

6) Inter acum et uitrum, quo tegitur, *spatium iustum* intersit, necessum est. Cum autem demitur, et iterum imponitur, pyxidi uitrum, caue ne in acum cadat, et cuspidis acumen obtundat.

7) *Acus* a ferro et ipso magnete *remoueatur*. Siquidem utroque a solita directione auocatur, et si idem saepe contingat, alacritas eiusdem impeditur. Propterea etiam compassus in ferrifodinis inutilis est.

8) Rudis et nondum elaborati magnetis *poli* sic inueniuntur. Ponitur nempe aliquo loco uas rotundum, et ibidem immotum relinquitur, in eoque, uel obseruatione solis; quemadmodum in astronomia docetur, uel beneficio acus magneticae accuratioris, meridianae lineae situs in marginis oppositis punctis notatur. Tum in idem uas aqua infunditur, et asser leuis imponitur, aquae innataturus, deinceps super assere magnes locatur, et expectatur, donec is in stabilem situm sese composuerit, et quieuerit. Ita enim, linea meridiana, in duo opposita marginis puncta utrimque respiciens, reperitur, conf. IO.

MA-

MATHESII *Sarepta*, *Conc. XII. f. 129.* postea mola acuminaria tolluntur rudis lapidis prominentiae, ita ut linea meridiana in medio relinquatur, et lapis parallelepipedi figuram assumat. Hinc frustulo magnetis exiguo lapis paulatim admouetur, quod magnes prismaticus, (uel ut aliis placet, sphaericus aut elliptoidicus) fortiter attrahet eo puncto, quo uis omnis dirigitur et cumulatur, idemque hoc ipso innotescet, si succutiatur magnes, et frustulum adhaerens aegre decidat. Illud autem punctum impresso charactere signatur, et pro polo boreo habetur, cuius e regione altera est polus australis, itidem stilo limaue notandus. Eadem polorum loca etiam sic reperiuntur. In charta ramenta ferri sparguntur, et sub charta admouetur magnes prismaticus, statim enim scobs ferri dirigetur in duplicem polum, et quosdam in charta arcus, et eorum sectionis puncta, quibus poli subiacent, determinabit. Qualis autem alteruter polus sit, boreus uel austrinus, experieris, lapide ad acum magneticam, super fulcro suo mobilem, appropinquante, nam polus boreus contrariam, nempe australem acus partem, adducet, repellet borealem. Cognitis signatisque in lapide polis, utraque magnetis regio polaris, ferreis annulis cingitur, et quasi armatur, et super ipsos polos, in circulis ferreis, ferra prominentia et polita figuntur, postea armatus magnes linteo uel serico panno uestitur. Conf. VOIGTEL. *l. c.* et BION *de Instrumentis mathematicis*, *Lib. III. Cap. II. p. 103. seq. ed. germ.* Constat autem experientia, armatum magnetem nudo multo potentiorem fieri. MERSENN. *l. c. p. 250.* Vidi tamen Amstelodami, in aedibus Admiralitatis, siue praefecturae maritimae, magnetem nudum, pedis longitudine, cuius attritu ferra compassi nautici insigni ui magnetica instruebantur.

9) *Asseruatur* magnes uel in *cistula*, qua ramenta, uel, uti aliis placet, frusta filorum, ferri continentur, uel ita suspenditur, ut in mundi plagas sese conuertere possit, et tum ex unco ferreo, qui eiusdem armaturae adhaeret, ferrea pondera appenduntur, quae dum sensim augentur, uis attrahendi et dirigendi in polos una incrementa capit. Hinc autem per se quisque iudicauerit, magnetem praestare altero tanto plus, quanto grauiora pondera adducit.

10) *Acus* ex tenui ferri lamella facta, *probe limata*, et *pileolo aeneo instructa*, facultate magnetica imbuitur, affrictu poli, in cuius aduersam plagam conuerti acus portio tangenda debet. Nempe ferro polito,

polito, quod polo u. gr. boreo imminet, acus alterum brachium, a pileo uersus finem, aliquoties, quater, quinquiesue, fricatur, et fulcimento suo imponitur, ita uis directionis statim se exserit, et portio fricata in meridiem, altera in septentrionem dirigitur. Quidam et alteram acus portionem polo contrario similiter tangunt, sed praeter necessitatem.

11) *Pyxis* acum complectens *uitro tegitur*, ut aeris flatui non sit obnoxia. Inprimis autem cauendum, ne acus pinguedine et humore, ex quo quippe ferruginem contrahit, inficiatur, neue igni uicino exponantur, et ab iisdem magnes quoque tutus praestari debet.

12) Dum fricatur acus, *semper in unam partem magnes adducitur*. Nam quando reducitur, uis recto affrictu impressa, inuerso iterum tollitur.

13) Quia acus brachium, quod tactu magnetis natiuam ipsi indolem concepit, redditur grauius, *restituitur* ipsius aequilibrium, *particula exigua abscissa*.

14) Cum languet acus, *stili* uel *pileoli politura* examinanda, et *asperitas*, si qua deprehenditur, *lima* aut *smyride* tollenda est. Si *ferrugo* lamellam obsideat, iterum *polienda* est. Tum denuo magnete acus affricatur, ut uirtus pristina reuiuiscat.

15) Tandem non negligenda est mensorum admonitio, qua praecipiunt, ut *acus*, post exactas pragmatias, *ex compasso eximatur*, et *charta inuoluta custodiatur*. Siquidem quando compassus in perula obliquo situ collocatur, et motu ferentis concutitur, contingere potest, ut stilus et pileolus attritu mutuo uitium contrahant. Conf. Dn. BEYERI *Geom. subterr. Part. II. p. 26. seq.*

DEFINITIO XV.

Figur. 7. 34. Goniodictes (*der Winkelweiser*) est instrumentum ligneum, uel regula lignea, circiter pedis longitudine, duabus partibus AF et GH, cochlea F copulatis, constans, gestans praeterea dioptras aereas B, C, et infra filum aeneum LKID, parallelum lineae dioptrarum. Firmatur autem super fulcro, per foramen H immisso, et adhibetur, tum ad

ad linearum inclinationes ad horizontem, tum inprimis ad conuersiones uel directiones in mundi plagas, in externa terrae superficie definiendas. Nam quando ex filo KI libella suspenditur, potest portio instrumenti AE tamdiu attolli, uel deprimi, donec pondus, ex centro libellae pendulum, angulum inclinationis ad horizontem designet. Similiter suspenso ex goniodicte compasso, et moto instrumento dextrorsum uel sinistrorsum, donec sub eodem acus magnetica plagam desideratam indicet, habetur situs illius in eandem mundi plagam.

CONSECTARIVM.

35. Quodsi igitur quis, obtento instrumenti situ, per dioptras prospiciat, potest in patente campo, baculis constitutis, lineam in quamlibet horizontis plagam conuersam definire. Ceterum ligneum est, ut eo euadat leuius. Habet idem usum pro libellatione locorum instituenda; item pro describendis arearum ichnographiis, siquidem angulos a lateribus figurae cuiusdam comprehensos acus indicat, qui in charta instrumento lineationis accurate iterum exhiberi possunt. Conf. BION. *Officin. mathem. Lib. VI. Cap. VII.*

DEFINITIO XVI.

36. *Compassus iacens (der Setz-Compaß)* est arcula rotunda, ex aere uel ligno parata, in cuius medio, intra cauitatem circularem, acus magnetica super acuto stilo iacet, peripheria uero in portiones suas horarias, quemadmodum figura indicat, diuisa est. Praeterea circa pyxidem magneticam, in medio insertam, regula AB mobilis est, cuius alterum crus uersus A signo, u. gr. crucis, signatur. *Figur. 14.*

CONSECTARIVM.

37. Vsus huius instrumenti est, ut beneficio regulae mobilis specus cuiusdam directio in mundi plagam, siue discessus

D a linea

a linea meridiana, inuestigetur, et quia in tali pyxide regula horam alicuius cauernae axi debitam monstrat, non opus est plagarum ortus et occasus permutatione; adeoque hic compassus similis est uulgarium, qui circumferuntur, et tantum diuisione peripheriae distinguitur. Aetate AGRICOLAE, seculo XVI, eiusmodi compassum prae caeteris fuisse in usu, apparet ex *Libro V. de re metallica*, *p. 105.*

SCHOLION.

38. Cum uero breuis acus magnetica non satis accurate indicet in circulo horario punctum, finitores aliam compassi iacentis formam,
Figur. 15. quae figura 15. ob oculos ponitur, inuenerunt. Nimirum ex ligno duriore conficitur rectangulum, 6. digitos longum, 1. dig. altum, et in medio eiusdem, pro acu locanda, cauum orbiculare paratur, cuius diameter est $2\frac{1}{2}$. digitorum. Circa hoc cauum foramen orbiculus aeneus transuersariis diametris firmatur, in quo horarum diuisiones et numeri scripti sunt. In centro autem harum diametrorum, stilus figitur, intra regulae MNO medium inferendus, ut circa hunc stilum, ueluti circa axem suum, regula aenea, diametro compassi paulo maior, altero extremo unco praedita, uoluatur. Ita enim fiet, ut etiam hoc organo reperiantur specuum subterrraneorum directiones, quando funiculus parietibus fodinae parallelus, unco M regulae annexus, una ducit regulam, ut angulus, quem cum linea meridiana funiculus efficit, innotescat. Si hoc instrumentum fulcro instruatur, erit ad praxin tanto commodius.

DEFINITIO XVII.

Figur. 16. 39. *Circuli horarii* (*Stunden-Scheiben*) sunt orbes aenei, diametri 4. digitorum, habentes peripheriam in horas, consueta mensoribus ratione, diuisam. Instruuntur praeterea singuli duabus laminis recuruis, perforatis, cochleisque in quolibet situ in circulo horario figendis, intra quas, laxatis cochleis, circulus horarius mobilis est. In centro circuli foramen fit, per quod funiculus duci queat, et centrum ambit alius orbis mobilis unco praeditus, cui alter funiculus annectitur.

SCHO-

SCHOLION I.

40. Tales circuli horarii, quibus horae ordine naturali, aliter ac fit in compasso, (§. 25. 28.) inscriptae sunt, adhibentur in ferrifodinis, ubi magnes officium non facit, pro earum directionibus reperiundis. Debent autem duo tales circuli ad manus esse, pro mensione instituenda.

SCHOLION II.

41. His circulis horariis speciatim accommodatus est orbis alius aeneus, medio cauus, et simili ratione diuisus, uti priores circuli; uocatur a mensoribus *transportatorium circulare*, quia illius beneficio in charta restituuntur anguli, circulis horariis in ferrifodinis reperti: ex huius transportatorii centro, exiguus angulus resectus est, ut quouis casu centrum illius orbis ad linearum datarum extrema recte applicari possit. *Figur. 17.*

SCHOLION III.

42. Praeter hucusque commemorata organa, alia mensoribus metallicis uel necessaria uel saltem utilia sunt. Nempe circini, regulae, norma, scalae geometricae, diuersae magnitudinis, magnes eximius, pro excitanda in languidis acubus uirtute directionis, funiculi aliquot ulnas longi, item pugillares, et, pro commode transferenda in fodinas supellectile, perula. Vid. VOIGTEL. *Part. III. p. 21. seq.* idem *p. 29.* commendat etiam instrumentum proportionale ex 5. regulis figura parallelogramma compositum. Verum tali carere satis uidetur, quia illius motus uix tam est aequabilis et regularis, ut ichnographiis, minore uel maiore figura pingendis, adhiberi sine errore possit.

SCHOLION IV.

43. Hactenus de instrumentis ad geometriam subterraneam excolendam necessariis, pro instituti modo explicaui. Quoniam autem in iis praecipua sunt, quae acu magnetica ueluti animantur, de ea re pauca nunc addere placet. Scilicet inferius docebitur, quomodo sine magnete dimensio fodinarum, etsi laboriosius, et per aliquas ambages, praestetur. Attamen cum in geometria subterranea, qualis nunc coli-

tur,

6. Ita continua reliquorum meatuum dimensionem, et poteris etiam ferri fodinarum flexus indicare, et in charta exhibere; quo autem id artificio agatur, postea docebitur.

RESOLVTIO SECVNDA.

Cum prior modus, etsi accuratior et perfectior, tamen basium et perpendiculorum inuentionem, et ipsam descriptionem uestigii specuum laboriosissimam efficiat, excogitarunt mensores Figur. 16. alium, qui circulis horariis, quos §. 39. seq. laudaui, absoluitur. Nimirum

1. Sicuti antea ope compassi quaere primi funiculi directionem.

2. In fine illius funiculi, super ligno transuersario pone horizontali situ circulum horarium, et funiculum cum altero, qui per centrum circuli ducitur, connecte; tum uolue circulum, Figur. 18. donec funis horam attingat, quam compassus indicauerat; sit funiculus primus *a b*, accurate a meridie in septentrionem ductus, nota igitur in pugillaribus h. 12. Se. et ita orbem horarium cochleis ligno affige.

3. Quaere eiusdem funis angulum inclinationis, quem libella definiet.

4. Relinque fixum circulum, et funem tolle, eiusque extremum annulum annecte unco, qui prope centrum circuli est, et eundem funem secundum sequentis specus axem, quousque libet, profer. Vbi commode funis finitur, in ligno iterum pone horizontalem alium circulum horarium, *e*, et eum sic dispone, ut linea *b c e f* secet arcum *f s*, aequalem arcui *f c*, h. e. ut parallelum positum habeant diametri duorum circulorum, et hoc situ stabilem orbem secundum redde. Arcus *f c* notatus in pugillaribus, dabit funiculi secundi directionem. Cuius deinceps inclinatio libella indagatur.

5. Aufer

5. Aufer priorem circulum *b*, et in tertiam cauernam procede, et similiter quaere directionem funis *eb*, et singulas horas notatas solito more in indicem scribe, una inuestigata inclinatione ad horizontem.

6. Quoniam autem semper horizontali situ orbes horarii poni debent, siquidem lineae plagarum mundi, sunt radii horizontis sensibilis, (§. 34. *astron. sphaer.*) attamen in ualde inclinatis, cadentibus u. gr. specubus, cum funiculus ex centro circuli, per eius superficiem, trahi commode nequit, ea propter relinque funem, secundum directionem specus porrectum, et supra eum circulum horizontalem fige, ut centrum eiusdem funi immineat, deinceps perpendiculum, in funem apice suo cadens, iuxta circuli peripheriam, demitte, et nota in peripheria horam uel horae partem, quam perpendiculi filum stringit, eamque habe pro angulo conuersionis funiculi in mundi partem; nam linea illius plagae horizontalis, ex centro orbis educta, per filum perpendiculi esset transitura. Pari ratione operare in specubus surgentibus. Fulcrum sustinendis circulis horariis accommodatum, describit Dn. BEYER *Geom. subterr. Part. VI. Prop. XXX.*

7. De modo, in charta repraesentandi specuum sic mensuratorum axes, infra agetur.

SCHOLION I.

55. Hanc metiendi fodinas praxin germani uocant, *das Abziehen derer Gebäude*, item *den Gruben Zug*.

SCHOLION II.

56 Vt modus inscribendi in indices numeros angulorum, funiculorum, horarum, una cum eorundem resolutione, clarius intelligatur, non abs re uidetur, peculiari problemate de hoc argumento agere.

DEFI-

DEFINITIO XVII.

57. Resolutio numerorum in fodinis inuentorum, (*Resolvirung des Gruben-Zugs*) nominatur artificium, quo, pro hypotenusis et angulis datis, perpendicula et bases quaeruntur, et una cum suis angulis in peculiari indice ordinantur.

PROBLEMA V.

58. *Resolutionem numerorum modo explicatam rite peragere.*

RESOLVTIO.

Quemadmodum exemplum hic propositum docet, fiant classes titulis suis distinctae, et ex tabulis perpendiculorum et basium, eo modo quem supra §. 48. copiosius tradidi, pro hypotenusis et angulis, perpendicula et bases querantur, et cum numeris respondentibus comparentur, inprimis uero perpendicula specuum cadentium et surgentium distinguantur, ita resolutio quaesita absoluetur.

1. Loca mundi.	2. Cad. et surgent.	3. Gradus libellae.	4. Vln. et 8uae funic.	5. Digiti.	6. Horae Compassi.	7. Octau. p. hor.	8 Bases. Vlnae	Octauae	Digiti	9 Catheti surgentium. Vlnae	Octauae	Digiti	10 Catheti cadentium. Vlnae	Octauae	Digiti	11. Signa.	12. Annotationes.
—	Surg.	90	$\frac{1}{2}$	—	—	—	–	–	—	–	4	—	–	–	—	—	distantia puncti prensionis ab horizontali.
SE.	cad.	1	4	—	1	$7\frac{1}{4}$	3	7	9	–	–	—	–	–	55	—	
OR.	c.	4	$1\frac{1}{2}$	—	3	$3\frac{1}{2}$	1	3	9	–	–	—	–	–	82	—	
SE.	c.	1	$4\frac{3}{4}$	4	1	$2\frac{3}{4}$	4	6	3	–	–	—	–	–	65	—	hinc sub dist. $2\frac{5}{8}$
SE.	c.	$\frac{1}{4}$	$4\frac{3}{4}$	—	12	$5\frac{1}{2}$	4	6	—	–	–	—	–	–	15	—	Vln. et sub h. 6. uena transuersa.
SE.	c.	1	$2\frac{1}{4}$	—	2	$4\frac{1}{4}$	2	–	9	–	–	—	–	–	30	—	hinc sub dist. $\frac{3}{4}$
OR	ſ.	$\frac{1}{4}$	6	4	3	$4\frac{1}{4}$	6	–	—	–	–	20	–	–	—	—	Vln. et sub h. $10\frac{1}{2}$
OR.	c.	4	$3\frac{1}{2}$	—	3	$5\frac{1}{4}$	3	3	9	–	–	—	–	1	94	—	uena transit.
OR.	c.	$1\frac{1}{2}$	6	3	3	$1\frac{1}{4}$	6	–	2	–	–	—	–	1	25	—	
OR	c.	$4\frac{1}{4}$	5	3	3	$2\frac{1}{4}$	5	–	2	–	–	—	–	2	98	—	
OR.	—	—	5	5	3	$7\frac{3}{4}$	5	–	5	–	–	—	–	–	—	—	
OR.	c.	$2\frac{1}{4}$	2	3	3	1	2	–	2	–	–	—	–	–	62	—	usque ad parietem
OR.	—	—	$2\frac{7}{8}$	—	3	$4\frac{1}{4}$	2	7	—	–	–	—	–	–	—	—	ostii cuniculi (*Stollens Mundloch*)
SE.	c.	$\frac{3}{4}$	$2\frac{1}{8}$	3	1	4	2	1	2	–	–	—	–	1	39	†	usque ad lineam
	c.	90	$\frac{3}{4}$	8	—	—	–	–	—	–	–	—	–	6	80	—	horizontalem.
										-	4	20	2	1	45	—	

SCHOLION I.

59. Ex hoc syllabo apparet 1) quod ubi nullus libellae angulus indicatur, linea sit horizontalis. 2) cathetum surgentium specuum, utpote minorem, subtractum a catheto cadentium, relinquere 1½ Vln. 2. dig. pro casu, siue pro perpendiculari distantia superficiei aquae a linea horizontali per extremum cuniculi ostium producta.

SCHOLION II.

60. Quia eorum, quae circa fodinarum dimensionem et comparationem necessaria sunt, inuentio sine ichnographia fieri nequit, de ea ut nunc explicetur, ordo iubet.

DEFINITIO XVIII.

61. *Ichnographia* est descriptio uestigii specuum subterraneorum, siue areae, in quam meatus huc illuc reflexi, et horizontali situ repraesentati, diffunduntur.

CONSECTARIVM.

62. Putei igitur perpendicularis uestigium ostium praebet, atque sic etiam delineatur.

PROBLEMA VI.

63. *Ichnographiam fodinarum, in quibus compassus adhibitus fuit, delineare.*

RESOLVTIO.

1. Resolue dimensiones in specubus captas, et perpendicula ac bases quaere pro hypotenusis, et in tabulas refer. (§. *59.*)

2. In tabula horizontali pone et cera affige folium chartae.

3. Compassum insere instrumento lineationis, et idem ita dispone, ut primae lineae horam *b c* indicet, deinde duc cerussa iuxta latera instrumenti lineam obscuram, et eius magnitudinem scala mensuratam defini;

4. Simi-

4. Similiter secundum angulos respondentes delinea bases reliquas, et deinceps ductibus parallelis meatuum latitudines repraesenta, et postquam cerussa fecisti prima figurae lineamenta, tum etiam distinctius lineis atramento signatis eadem describe.

5. Illud per se perspicuum est, semper compassi locum §. prorsum, uti in fodina factum est, uertendum esse.

6. Adde figurae signa in fodinis obseruata, et speculum transuersariorum loca, et appinge scalam, qua bases es dimensus.

Exemplum talis ichnographiae, instrumento lineationis, ad ductum numerorum §. 58. laudatorum factae, exhibet Figura 20.

SCHOLION.

64. Praecipiunt mensores, ut eodem, quo mensiones captae sunt loco u. g. intra aedes fodinae uicinas, ichnographia absoluatur, ne quando longius discessum inde est, turbet pragmatiam murata acus magneticae declinatio.

CONSECTARIVM.

65. Quando compasso iacente in fodinis geometra usus est, eodem etiam ichnographia simili fere modo fit. Siquidem bases inuentae secundum eosdem in charta angulos disponuntur, quos hypotenusae speculum interceperunt.

PROBLEMA VII.

66. *Ichnographiam ferrifodinarum describere.*

RESOLVTIO.

Casus primus, quando solis funiculis directio speculum mensurata est. (§. 54. n. 1.) *Figur. 9.*

1. Quia primae lineae situs compassi beneficio innotuit, eadem instrumento lineationis, in charta scribitur, et pro baseos magnitudine definitur.

Figur. 19. 2. Verum, pro inueniendo flexu sequentis lineae bq, haec monita obseruanda sunt. Scilicet sit triangulum cbd horizontaliter exhibendum, separata figura propositum. ex ea apparet, lineas cb, bd, xd, singulas habere sua perpendicula et bases, quae angulis inclinationis competunt. Et si infima horizontalis zyd, ducatur, et catheti by, cz demittantur, erit perpendiculum bx illud, quod hypotenusae cb debetur, alterum by est pro funiculo bd, tertium cz pro fune cd: et quia cz, xy sunt parallelae; erit $cz = xy$ (§. 77. Geom.) est autem $xy = by - bx$, ex quo fluit modus, reperiundi basin zd; nempe quaerantur catheti funium cb, bd, et sumatur eorum differentia $= xy =$ cz: porro, data hypotenusa cd, numeris definita, quadratum eiusdem sumatur, et a □ cd demantur □ cz, et supererit □ zd (§. 195. Geom.) extractaque radice, (§. 154. Arith.) ipsa basis zd innotescet. Cognitis basibus, triangulum cbd componatur, et linea be ducatur, quae funiculi sequentis, in fodina inuenti, basi aequalis est; et similiter his sequentium angulorum determinatio instituatur.

Casus secundus, quando circuli horarii in specubus fuerunt adhibiti.

1. Iterum baseos primi funiculi positio compasso notata, instrumento lineationis signetur.

2. sequentesque ductus facili opera transportatorio circulari, annectuntur; nempe applicatur illius centrum extremo primae baseos, et mouetur ille orbis, donec prior linea peripheriae circularis punctum in pugillaribus scriptum indicat; tum respicitur etiam angulus funiculi sequentis, et prope orbem horarium respondens punctum cerussa uel stili apice in charta designatur; deinceps ex centro per hoc punctum linea producitur, et magnitudo baseos, ex scala accepta resecatur. Eodem modo reliquae bases componuntur.

DEFI-

DEFINITIO XIX.

67. *Mensio subdialis* (*der Tage-Zug*) uocatur praxis, qua linearum supra terram, siue in superficie terrae extensarum, situs, tum qua inclinationem ad horizontem, tum qua conuersionem ad plagas mundi, inuestigatur et definitur.

CONSECTARIVM.

68. Itaque in hac quoque dimensione libella, et compassus officium suum facient, si ex goniodicte baculo imposito, suspendantur.

PROBLEMA VII.

69. *Mensionem subdialem instituere.*

RESOLVTIO.

1. Eligatur tempus, quo aer tranquillus est, ut in libella perpendiculum, et in compasso acus, accurate optatas circulorum partes designent. Tale autem tempus plerumque matutinum est.

2. Praeparetur in pugillaribus tabula, pro numeris inscribendis, qualis supra §. 52. n. 3. praescripta est.

3. Funiculus assumatur 6 uel 10 ulnarum, uel saltem non multo maior, alias enim pondere suo, postquam extremis in baculis annexus est, nimium trahitur, et curuatur. Quin mihi uidetur quoque consultum, praeter funem catenam adhibere, et eadem longitudinem funiculi, metiri, si forte eius contractionem, quae in solo, pruinis aut rore madido, cito contingere solet, suspicari possis. Debet autem funis in extremis annulos habere, in quos baculorum summa immittantur.

4. Alligetur in principio lineae, v. g. in summo putei, funiculus, tum recta procedatur eo, quo linea mensuranda porrigitur, et quando funis est 6 ulnarum, tanto interuallo a

principio baculus statuatur, et funiculi tensi annulus eidem imponatur.

5. Suspendatur ex fune libra, et postea etiam compassus pensilis, prorsum conuerso septentrionis signo, et in indicem referantur, gradus libellae, hora compassi, una cum longitudine funis.

6. Ita pergendo, donec ad extremum lineae perueniatur, facta erit mensio subdialis.

7. Seruatur autem funiculi longitudo eadem, tum quia plerumque in patente campo licet, tum quia ad calculum facilitandum conducit. Si uero areae conditio non patitur eandem funiculi magnitudinem, alia quoque pro lubitu assumi potest, modo diligenter ulnae in pugillaribus annotentur.

PROBLEMA IX.

70. *Mensionis subdialis ichnographiam facere.*

RESOLVTIO.

1. Resoluatur prius mensio supra terram facta, et bases funibus et angulis debiti inueniantur.

2. Eodem modo, quo speeuum subterraneorum uestigia delineata sunt, etiam flexus basium, mensionis in superficie telluris peractae, describantur, et erit ichnographia quaesita absoluta.

SCHOLION.

Figur. 20. 71. Exemplum tale esto. Scire cupio, quantum ab ostio cuniculi *b* usque ad locum *i*, unde puteus ad eundem cuniculum demittendus est, surgat terrae superficies; id manifestabit mensio subdialis, prout numeri cum resolutione sequente tabula referunt: et iisdem accomodata est figura 20. in qua bases inuentas, beneficio instrumenti lineationis et scalae geometricae, composui.

MENSIO

MENSIO SVBDIALIS RESOLVTA.

1. Loca mundi.	2. Cad. et surgent.	3. Gradus libellae.	4. Vln. et 8uae funic.	5. Digiti.	6. Horae Compassi.	7. Octau. p. hor.	8 Bases. Vlnae	Octauae	Digiti	9 Catheti surgentium. Vlnae	Octauae	Digiti	10 Catheti cadentium. Vlnae	Octauae	Digiti	11. Signa.	12. Annotationes.
—	f.	90	$\frac{3}{4}$	8	—	—	—	—	—	—	6	80	—	—	—	—	a lin. horiz. ad punct. prehensionis.
ME.	f.	$29\frac{1}{2}$	$1\frac{3}{4}$	—	12	$\frac{1}{4}$	1	4	1		6	88	—	—	—	—	usque ad palum primum c.
OC.	f.	$5\frac{1}{4}$	$10\frac{5}{8}$	2	3	$\frac{3}{4}$	10	4	8	—	7	78	—	—	—	—	ad palum d.
OC.	f.	$4\frac{1}{2}$	$10\frac{5}{8}$	3	3	5	10	5	—	—	6	67	—	—	—	—	ad palum e.
OC.	f.	9	$10\frac{3}{8}$	6	3	$\frac{3}{4}$	10	2	5	2	1	56	—	—	—	—	ad palum f.
ME.	f.	$4\frac{1}{4}$	$10\frac{1}{2}$	8	2	2	10	4	5	—	6	26	—	—	—	—	ad palum g.
ME.	f.	$6\frac{1}{4}$	$10\frac{1}{2}$	7	2	2	10	4	2	1	1	20	—	—	—	—	ad palum h.
ME.	f.	7	$9\frac{1}{8}$	5	2	$4\frac{1}{4}$	9	—	9	1	—	90	—	—	—	—	ad palum sept. et ult. i. siue ad machinam tractoriam puteo imminentem.
										8	6	05					
S.	c.	77	$3\frac{3}{4}$	5	11	5	—	6	8	—	—	—	3	5	69	—	Hinc in ipsum puteum perrectum est.
	c.	90	$\frac{1}{2}$	5	—	—	—	—	—	—	—	—	—	4	50	—	
													4	2	19		

Figur. 20.

CON-

CONSECTARIVM.

72. Facta cathetorum additione, apparet, superficiem terrae ab ostio cuniculi usque ad puteum *i* surgere 8 Vln. 6 octau. s. $\frac{3}{4}$, et quia supra §. 59. notatum est, distantiam horizontalium per punctum ostii extremi, et per principium dimensionis, ductarum, esse $1\frac{5}{8}$ Vln. 2. dig. dum puteus, teste §. praec. altitudinem $4\frac{3}{4}$ Vln. 1. dig. habet, sequitur, superesse, $2\frac{7}{8}$ Vln. 7. dig. per quam lineam puteus debet continuari, ut horizontalem cuniculi attingat.

PROBLEMA X.

73. *Inuenire altitudinem perpendicularem loci alicuius subter terram, uel a terrae superficie, uel ab alio loco subterraneo.*

RESOLVTIO.

1. Quando in mensione fodinarum surgentes et cadentes specus miscentur, accipe utriusque generis, nempe surgentium et cadentium, summas, et minorem a maiore aufer, residuum monstrabit altitudinem, uel depressionem perpendicularem, unius loci ab altero.

V. gr. in nostro exemplo §. 58. erat summa cathetorum surgentium 4. oct. 2. dig. et summa cadentium est 2. Vln. 2. oct. $4\frac{5}{10}$ dig. ergo facta subtractione, relinquitur 1. Vln. 5. oct. $2\frac{3}{10}$ dig. pro perpendiculari depressione loci primi ab ultimo.

2. Similiter ab alio loco subterraneo perpendicularis distantia habetur, si, pro summa cathetorum constituenda, inde initium ducatur.

3. Quod si uero distantiam a loco supra terram scire desideres, componatur mensio subterranea cum subdiali, et utriusque perpendicularis ascensus uel descensus quaeratur; nam etiam horum summa uel discrimen quaesitum aperiet.

V. gr.

V. gr. aſcendat ſuperficies terrae a principio menſionis ad aliquem puteum $8\frac{3}{4}$ Vln. ſpecuum uero perpendicularis deſcenſus, ab eodem initio uerſus eundem puteum, eſt 4. Vln. ſumma $12\frac{3}{4}$. dabit totam profunditatem a puteo ad imi loci lineam horizontalem, quando autem aſcendit mons, et aſcendit quoque ſpecus uſque ad aliquem terminum, differentia perpendiculorum, dabit altitudinem optatam.

SCHOLION.

74. VOIGTELIVS p. 98. ubi de computandis baſibus et perpendiculis, quae hypotenuſis et angulis datis competunt, egit, etiam regulam commendat, pro examine calculi inſtituti, talem: ſumatur ſigillatim ſumma baſium, perpendiculorum et hypotenuſarum, ex ſummis prioribus fiant quadrata, eademque addantur, et ex aggregato radix quaeratur, ſi haec aequalis eſt ſummae hypotenuſarum, putat recte ſe habere factae menſionis reſolutionem, et fundamentum huius praecepti in theoremate pythagorico quaerit. Enimuero pythagorae inuentum, quod ad unum tantum triangulum rectangulum pertinet, ad plura et diſſimilia irrito labore trahi, analytica demonſtratio probat. Sint triangulorum perpendicula a et c, baſes b et d, hypotenuſae x et y, erit *Figur. 21. Tab. 3.*

$$\square\, a + c = a^2 + 2ac + c^2, \text{ et}$$
$$\square\, b + d = b^2 + 2bd + d^2$$
$$\square\, x + y = x^2 + 2xy + yy \quad (\S.28.\ \text{Analyſ.})$$

et per theor. pyth.

$$a^2 + b^2 = x^2$$
$$\text{et } c^2 + d^2 = yy$$

extractaque radice

$$\sqrt{a^2 + b^2} = x$$
$$\sqrt{c^2 + d^2} = y$$

et ſecundum hypotheſin praecepti Voigteliani foret

$$a^2 + 2ac + c^2 + b^2 + 2bd + d^2 = x^2 + 2xy + yy$$

ſubſtituto ualore xx et yy

$$a^2 + 2ac + c^2 + b^2 + 2bd + d^2 = a^2 + b^2 + 2xy + c^2 + d^2$$

et aequalibus ablatis,

$$2ac + 2bd = 2xy$$

et $ac + bd = xy$

Iterum substitutis aequipollentibus x et y

$$ac + bd = \sqrt{a^2 + b^2} . \sqrt{c^2 + d^2}$$

facta irrationalium multiplicatione, (§. 26. Anal.)

$$ac + bd = \sqrt{c^2a^2 + c^2b^2 + a^2d^2 + b^2d^2}$$

ut signum radicale tollatur, fiat quadratum ex $ac + bd$, et fiet

$$a^2c^2 + 2acbd + b^2d^2 = c^2a^2 + c^2b^2 + a^2d^2 + b^2d^2$$

deletis aequalibus

$$2acbd = c^2b^2 + a^2d^2,$$

sequeretur ergo ex hac hypothesi, duo haec facta ultima aequalia esse, id quod promiscue sumtis perpendiculis et basibus, fieri nequit. Interim tamen ex theor. pythagorae constat, omnino promiscue sumta perpendicula et bases, siquidem angulum rectum capiant, triangulum rectangulum formare; illustratio exemplo speciali facta rem totam clariorem reddet, sint perpendicula 8 et 14 bases 10 et 18

per theor. pyth. erit $8^2 + 10^2 = \square$ hypotenusae $= 164$

et $14^2 + 18^2 = \square$ hypotenusae $= 520$

sed secundum superiorem hypothesin foret

$$(8 + 14)^2 + (10 + 18)^2 = 484 + 784 = 1268 = 684$$

quod manifesto ueritati repugnat.

Attamen datur casus, quo regula VOIGTELII bene sese habet, nempe, quando triangula rectangula aequales habent angulos, et similia sunt, ut ualeat analogia, (§ 92. Geom.)

$$a : b = c : d \text{ ubi } \frac{bc}{a} = d$$

siquidem substituto in aequatione

$$2abcd = c^2b^2 + a^2d^2$$

ualore d et d^2, prodit

$$2abc . \frac{bc}{a} = c^2b^2 + a^2 . \frac{b^2c^2}{a^2}$$

hoc est

$$2b^2c^2 = 2b^2c^2$$

Vel

Vel assumantur duorum triangulorum rectangulorum similium latera numeris definita, eadem ueritas quodammodo elucescit, etsi additis laterum quadratis numeri prodeant irrationales, quorum radix praecisa et rotunda non reperitur. Sint unius trigoni crura 4, 5, alterius 16, 20, quorum ratio quadrupla est; fiet summa quadratorum priorum 16 † 25 ═ 41, posteriorum 256 † 400 ═ 656, ideoque sunt quadrata hypotenusarum 41 et 656, ipsae hypotenusae proxime sunt $6\frac{2}{5}$ et $25\frac{3}{5}$, quarum ratio itidem quadrupla est, quia $6\frac{2}{5}$ X 4 ═ $25\frac{3}{5}$. Summa hypotenusarum est 32. eadem fere prodit, si colligantur in summam bases 5 † 20 et catheti 4 † 16, et ex summa quadratorum 625 † 400 ═ 1025, radix eruatur $31\frac{22}{100}$, h. e. fere 32, pro summa hypotenusarum, quia perfecta extractio locum non habet.

PROBLEMA XI.

75. *Lineam rectam horizontalem in campo ducere.*

RESOLVTIO.

Casus 1. Quando aequalis est terrae superficies, ut liber per eam prospectus pateat, quilibet intelligit, rectam lineam horizontalem, baculis positis, et mensuratis, funiculo horizonti parallelo, eorum interuallis, donec integram longitudinem lineae componant, definiri. Praeterea, si ex tenso inter baculos funiculo, uel si malis ex goniodicte, suspendatur compassus, hora quoque in quam linea dirigenda est, reperietur.

Casus 2. Quando inaequalis est terrae superficies, sed tamen talis, quae non impedit progressum, per lineam rectam: tum qua area plana est, determinatio lineae fiat, eo quem diximus, modo, ast ubi intercedunt colles, montesque, tum in locum baseos horizontalis hypotenusa succedit. Sit 1) sursum in colle *Figur.* 12.
Dh determinanda linea horizontalis 6. Vln. in radice collis pone *Tab.* 2.
baculum, et super eum fige goniodictem, quaere primum compasso lineae directionem, deinceps dirige instrumenti mobile crus uersus summum collis, et e regione colloca baculum AD,

metire

metire lineam AC, quae sit 10 Vln. et suspensa libella inueni angulum C, 10 gr. deinde pro hoc angulo basin BC. (§. 48) 9678, et tandem pro basi *g C* 6 Vlnar. ob similitudinem triangulorum ABC, et *e g C*, infer

BC	AC	gC	eC.
9678:	10 =	6:	6073

assume hanc lineam in hypotenusa *e C* et perpendiculo demisso ex *e*, baculum in *i* statue, ita in accliui superficie linea, horizontali gC respondens, dabitur. Similiter 2) si deorsum, ex A uersus C in decliui solo indicanda esset linea aliqua; iterum quaere lineae horam, et hypotenusae AC angulum et longitudinem, et inueni *Af* hypotenusae portionem, basis *Bb* portioni accommodatam; ubi uero 3) propter nimiam montis decliuitatem uel accliuitatem, non licet assumere talem hypotenusam, quae ad integram basin definiendam sufficiat, oportet duabus pluribusue partibus eam componi.

Casus 3. Quando uel ob collium praecipitia, uel propter
Figur. 13. Tab. 2. alia obstacula imperuia, recta procedere non permittitur, fiat mensuratio linearum ac, cd, de, ef, per ambages positarum; et diligenter huius mensionis superterraneae, directiones, et anguli annotentur. (§. 69.) deinde, ubi suspicio est, appropinquare has ambages ad lineam definiendam, figatur ultimus baculus, et suo loco relinquatur, hinc tertio ichnographia huius mensionis describatur, (§. 70.) et in principio ducatur secundum horam debitam linea recta *ab*, tum appropinquatio, uel etiam concursus linearum per ambages ductarum habetur; et si tandem, recte secundum plagas mundi posita ichnographia, applices, ad ultimum baculum f, instrumentum lineationis, poteris, uel perpendiculi *fr*, uel obliquae lineae *fb*, quae usque ad extremum rectae in solo indicandae pertingit, situm obseruare, ipsam uero lineam, *fr*, *fb*, scala metiri. Qua cognita, applicato ad baculum localem f goniodicte, ex quo compassus

passus pendet, baculis ulterius constitutis, lineae *fr*, uel *fh* longitudinem, et ita alterum lineae *ab* extremum, terminabis.

CONSECTARIVM.

76. Etsi forsan quaeratur non extremum lineae, sed medium aliquod in ea punctum, plane eodem artificio id manifestabis, si circa idem in mensione substiteris, et tandem in ichnographia uerum positum indagaueris.

PROBLEMA XII.

77. *Loca in superficie terrae subterraneis respondentia inuenire.*

RESOLVTIO PRIMA.

Si a principio fodinae, v. g. puteo, capti, et in ichnographia descripti anguli directionum, una cum lineis horizontalibus adiacentibus, eodem ordine, quo semet in specubus subterraneis exceperunt, supra terram, beneficio goniodictici instrumenti, disponantur, et baculi locales statuantur, tandem quodlibet punctum subter terram alii supra terram oppositum reperies. Enim uero quia minimus error in angulis et lateribus commissus, per totam praxin diffunditur et augetur, hac solutione infrequentius artifices utuntur.

RESOLVTIO SECVNDA.

Per lineam rectam; nempe ducatur a principio mensionis *Figur.* 11.
ad punctum, quod subterraneo in ichnographia competit, *Tab.* 2.
linea recta Hi, eademque scala mensuretur, tum, recte prius in partes mundi conuersa ichnographia, imponatur lineae HI organum lineationis, et hora in compasso obseruetur; et secundum huius horae ductum, baculis positis, determinetur lineae IH longitudo, (§. 7) ita reperietur punctum I supra terram, quod alteri eiusdem nominis infra terram, imminet. Verum etiam haec methodus, quando per inaequale solum

 et

et per ambages proceditur, difficultates suas habet, et errori occasionem dare potest.

RESOLVTIO TERTIA.

Funiculo indefinito. (*mit der verlohrnen Schnur*)

1. Ponitur facta specuum ichnographia, quoniam ex eadem innotescit, circa quam regionem, et in qua distantia, supra terram punctum, dato infra terram incumbens, haereat, sume funiculum longum 6 uel 10 ulnas, et progredere uersus illud punctum in campo libero, et utrimque in extremis funiculi pone baculos, (uel in principio funiculum in machina tractoria putei alliga, et altero tantum in fine palum statue)

2. Deinde ex fune tenso libellam, postea etiam compassum, suspende, et ita angulum inclinationis et directionis, cum longitudine funis, in pugillares refer.

3. Ita porro mensionem subdialem continua, donec suspicio est, te prope punctum quaesitum peruenisse; et illo loco palum fige.

4. Domi fac ichnographiam mensionis subdialis, (§. 70) ita quidem, uti ex eodem principio ducatur, tum haec ipsa, *Figur. 10.* tum antea quaesita uestigii specuum descriptio, quemadmodum in figura adiecta *b c d n m* ichnographia specuum, et *a x y e* uestigium mensionis subdialis est.

5. Sic enim manifestum fiet, quantum figurarum, iuxta se positarum, fines *e* et *m* distent, et qualem situm mutuum habeant; nempe applicatur ad *e* instrumentum lineationis, et hora lineae *e m* notatur, scalaque eiusdem extensionis magnitudo mensuratur.

6. Hinc accede ad palum localem *e*, et secundum horam, quam compassus sub goniodicte indicabit, lineam cognitam

e m

em baculis determina, et ipsum punctum, siue locum *m*, palo itidem signandum, cognosces.

CONSECTARIVM I.

78. Vltima solutio prioribus absque dubio praestat. Siquidem abstinet a laboriosa incertaque uel lineae rectae determinatione, uel imitatione multorum angulorum; sed id unice agitur, ut ichnographiae mensionis sub terra et supra terram, componantur. Si igitur saltem debita diligentia utramque quaesieris, non est de accurata puncti optati definitione dubitandum. Accedit his, quod, quia in instituenda mensione subdiali, mensori liberum est, quam uelit in progressu tenere uiam, possit euitare multa obstacula, quae cum taedio et erroris periculo superanda erant, si uellet uel secundum lineam rectam, uel per angulorum anfractus pergere. Conf. Dn. BEYERI *Geom. Subt. p. 156.* idem, eo loco, et sequentibus propositionibus, plura et perspicua mensionum exempla affert.

SCHOLION.

79. Interim proposita a VOIGTELIO p. 112. monita hic notanda sunt. 1. ut eo loco, quo mensio facta est, etiam ichnographia elaboretur, ne in locis remotioribus, mutata magneticae acus declinatio, pragmatiam perturbet. 2. ut supra terram funes non nimis longi adhibeantur, siquidem, cum leue uitium in angulis admittitur, illud tanto plus nocet, tantoque magis augetur, quanto lineae sunt longiores.

CONSECTARIVM II.

80. Porro ex dictis fluit praxis mensionis proprie sic dictae, (*das Vermessen*) quando a geometra spatium terminatur, intra quod demensa (*die Maassen*) fodinarum, quorum alicui ususfructus a principe concessus est, continentur.

CONSECTARIVM III.

81. Praeterea apparet, cognito termino supra terram, posse uicissim ei respondens punctum sub terra in cryptis monstrari, conuersa

conuersa superioris problematis praxi. germ. *Lochsteine in die Grube fällen.* Conf. §. 14.

SCHOLION.

82. Qualis autem quolibet loco mensurarum proportio in usu sit, geometra a metallariis, uel iis, qui fodinis praefecti sunt, facile rescisceet; differunt enim demensi magnitudines uariis in locis; teste SCHOENBERGIO *u. Leben p. 62*, spatium quod metalla indagaturis princeps, per magistrum metallicorum, tanquam feudum uel emphyteusin, sub conditione decimarum praestandarum, concedit, habet 7 uln. pro longitudine, et 7 uln. pro latitudine, uocatur quadratum; (*die Vierung*) clausum spatium uel claustrum (*Wehr*) duo quadrata, fodina (*Fundgrube*) tria clausa spatia, demensum (*Maas*) duo claustra s. 28 ulnas complectitur; consulatur etiam D. HERTWIG *Berg-Buch. u. Lehn. wehr. maassen.* &c. Freybergae 60 ulnae sunt horizontale latus fodinae, *Fundgrube*, 40 ulnae competunt demenso *einer Maasse*: teste Dn. BEYERO p. 80.

PROBLEMA XIII.

83. *Inuenire lineam rectam, per quam ad cryptas breuissima uia accedi possit.* (germ. *einen Durchschlag anzugeben*)

RESOLVTIO.

Casus I. *Quando a terrae superficie ad specum penetrandum est.*

Figur. 22. 1. Velim accedere ex B ad D, uel eo puteum agere. primo omnium, quaere supra terram punctum B, quod imminet puncto D. (§. 77)

2. Quaere ex casu cryptarum et areae subdialis, perpendiculi BD longitudinem, (§. 73) et satis fiet petito.

Casus II. *Quando a specu ad uicinum cupis penetrare.* (germ. *ein Querschlag*)

Figur. 23. 1. Proponuntur copulanda puncta cryptarum G et F. fac initium mensionis a puncto alterutro v. g. F, et eam sursum, per puteum supra terram, continua, usque ad puteum, qui ad

uicinam

uicinam cauernam ducit, (§. 52. 69.) ingredere etiam puteum, donec suspicari potes, ex collectis numeris, te similem utrimque perpendicularem locorum profunditatem obtinuisse.

2. Fac ichnographias tuae mensionis, (§. 64. 71.) connexas, et si iam in desiderata horizontali linea extrema mensionis repereris, (nam si nondum id factum est, progrediendo uel regrediendo illum situm reperies) applica instrumentum lineationis ad puncta G et F, et horam lineae eo ducendae, et fossoribus indicandae inuenies; simile exemplum est linea D F. Fig. 11. longa 9¾ Uln. et ducenda sub hor. 10, 4⅛.

3. Cum autem cryptarum copulandarum, v. g. punctorum H F diuersae sunt horizontales, quaeri oportet, quanto F sit altius, quam H, (§. 74.) et quia in triangulo GFH duo crura nota sunt, inde hypotenusa innotescet, (§. 47.) horam autem in ichnographia compassus manifestabit. in fig. 11. linea I L designat uiam ex cuniculo I M, ad puteum A, quae 24⅛ Uln. longa, et in hor. 7. directa est. *Figur. 11.*

SCHOLION I.

84. Quando sursum copulandae sunt cryptae, v. g. ad aquas ex superiore in inferiorem cuniculum auertendas, cauto opus est, ne fossores, aqua attenuatum parietem perrumpente, mergantur. Quem in finem cum aliquo usque perrectum fuit, praelonga tereba modicum aperitur foramen, ut aqua sensim prius abducatur. vid. VOIGTEL. p. 139.

SCHOLION II.

85. Satis actum est de cryptis ducendis et metiendis; sequitur caput de uenis metallicis, earumque iudicio et mensione; quod quidem implicatius est, quia hic subinde fallunt spem nostram, dubii delitescentium in terrae uisceribus metallorum indices, dum nimirum meliores ignorantur; optarem ut hoc caput, speciatim, quoad uenarum diiudicationem, uberius excultum, et plenius, a uiro experientia talium rerum satis instructo, elaboratum esset, quippe quod ad felicem metallorum indagationem uel maxime conducit; uerum, cum hactenus

 non

non nisi sparsim aliquas de eo obseruationes scriptores habeant, ego uero de propriis experimentis gloriari nequeam, mihi id duntaxat efficiendum intelligo, ut ex iis, quae alii metallorum periti tradiderunt, seligam inprimis ea, in quibus geometriae usus cernitur, et quae ad uenas iam detectas spectant. Interea etiam hic breuis ero, quia difficile est, de uenis agere, nisi quis in rem praesentem ducatur. Conf. AGRICOLAE *de Re Metallica Lib. III. p. 30. seq.* BERMANNVS *siue de Re Metallica dialogus, p. 442. seq.* LÖHNEYSS *de Metallis Part. I. f. 13. seq.* inprimis uero lectu digna sunt, quae Dn. DE OPPEL *Geom. Subt. Part. II. Sect. II. §. 515. seq.* de uenarum discrimine et reptatu uario latius exposuit.

DEFINITIO XX.

86. *Vena metallica*, (*ein Gang*) quam fossores specubus suis persequuntur, est in longum per terram porrecta metalli materies, quae a reptatu, quo uenarum sanguinis animantium similitudinem refert, illud nomen accepit. quaelibet uena fossoribus dicitur habere pendentem et iacentem partem; (*das hangende und liegende*) *pendens* est, quae uelut tegumentum uenae sursum iucumbit, *iacens*, in quam uena recumbit.

DEFINITIO XXI.

87. *Fibrae* (*Klüfte*) sunt uenulae, ex trunco ampliore diffusae, transuersae, obliquae, uenae modo coniunctae, modo eidem incumbentes.

SCHOLION I.

88. De notis uenarum AGRICOLA *l. c.* scribit: uenarum omnium, quantum in extensione, longe est optima, quae ab oriente in occidentem extenditur per montis decliue, ita tamen, ut dorsum montis uersus meridiem sit, decliue uero ipsius in septentrionem sensim inclinet; proxima uero bonitate est, quae a media aliqua orientis et meridiei parte, in mediam rursus occidentis et septentrionis extenditur, atque eiusmodi est uena, quam stellam uocari dixi; reliquae autem quanto plus a dictis illis recesserint, tanto minus argenti feraces esse solent. add. *Lib. III. de Re Metall. p. 53.* LOHNEYSS *l. c.*

SCHO-

SCHOLION II.

89. Venarum iamiam apertarum flexus organis suis geometra dimetitur, sed latentium reptatus quandoque metallarius, *uirga metalloscopica*, quam *diuinam* uel *mercurialem* nominant, instructus, in terrae superficie rimari et designare iubetur. Hanc uirgam furcatam, colurnam, fraxinam, salignam, &c. olim haud absque superstitione tractatam fuisse, et ex impuris incantatorum fontibus in metalla defluxisse, AGRICOLA *de Re Metall. Lib. II. p. 27.* censet. Hodie quidem metallici, quod sancte affirmant, a superstitione abstinent, (quamuis de multis contrarium testetur ROESLERVS, *Specul. Metall. Lib. I. Cap. XXXI. §. 9. 12.*) et uirgula utuntur lignea recens secta, uel ex filis cupreis aeneis uel crassiusculis contorta, (alii baculum non furcatum, uel globum plumbeum e filo suspensum adhibent; teste Dn. BEYERO p. 221.) Sed de usu eius, quemadmodum aetate AGRICOLAE, multae et magnae adhuc contentiones sunt. Alii enim eam in uenis inueniendis sibi usui esse aiunt, alii negant. Quidam motionis caussam a ui uenarum, quidam a metallarii, uirgam tractantis, ingenio et intentione arcessunt. Notissimus est VALLEMONTII tractatus, qui inscribitur: *la physique occulte, ou traité de la baguette divinatoire, et de son utilité:* in quo auctor ex philosophiae corpuscularis principiis monstrare nititur, moueri uirgam exhalationibus aquarum, et uenarum metallicarum, corporumque defunctorum, uel etiam corporis furis aut homicidae fugitiui, summa animi anxietate laborantis, et ob perpetuos terrores, et praecipitem fugam, copiosiores solito uapores exspirantis. vid. Cap. 6. 7. 8. Ex contraria parte THEOPHILVS ALBINVS, pseudonymus, in libro germanico, cui titulum fecit: *larua idolo uirgulae diuinae detracta;* in medium allatis pluribus rationibus, docet, uirgulam inuestigandi uenis inutilem, et, propter superstitionis suspicionem, abolendam esse. Quod ad me attinet, mallem ego, ut uirgula metalloscopica, rudi seculo, a superstitiosis uel incautis hominibus inuecta, hodie, clara artibus exculta aetate, ex metallariorum manibus penitus excutiatur et tollatur. Testatissimum enim est inter omnes, usum eius nullum esse, et plerumque homines uirgulae indicatione decipi; vid. ROESLER. l. c. §. 4. 12. Saepe etiam fraus commissa postea apparuit: nec dubito luculentis hisce argumentis aliud addere. Corpus inanimum natura sua iners est, et nisi uel a corpore moto, uel a spiritu, potentia corpus mo-

uendi praedito, pellatur, mutare locum suum non potest. Neutra autem harum uirium in uirgulam diuinam cadit. Etsi enim forsan quis credat, quae communis eorum, qui uirgulae patrocinantur, opinio est, ramuli recentis fibras, succo turgidas, halitu uenarum metallicarum, aut calore manuum, haud aliter, ac magnetem mobilem a ferro uicino, affici et moueri, tamen, quomodo omnis generis metallorum, aquarumue alte, ad, perpendiculum uiginti et plurium orygiarum, latentium, uapores tenues et imbecilles, in uirgulam metallicam, uel globulum plumbeum, uim exerant, declarandum superest; mihi idem prorsus inexplicabile uideri, profiteri non erubesco. Cum praeterea, teste ROESLERO, periculum superstitionis semper metuendum sit, relinquitur, sententiam, quam nunc propugno, saniorem et ueriorem; rhabdomantiam uero metallicorum inanem prorsus et damnandam esse, quod ipsum etiam quotidiana experientia confirmat.

DEFINITIO XXII.

90. *Venae*, tum conuersione in mundi plagas, tum ascensu lapsuque, differunt; prior positio parit diuisionem sequentem; *uena recta* est, (*stehender Gang*) cuius linea directionis (*streichen*) cadit intra horas 12. et 3. *uena porrecta*, (*flacher Gang*) quae dirigitur intra horas 9 - 12. *uena serotina*, (*Spatgang*) quae uertitur intra arcum horarum 6 - 9. *uena matutina*, (*Morgengang*) quae intra horas 3 - 6. continetur.

DEFINITIO XXIII.

91. Pro ascensu uero et lapsu uenarum haec diuisio placuit: *uena erecta*, (*stehender Gang*) cuius inclinatio ad horizontalem non est infra 80 gr. quae nempe aut perpendicularis est, aut a perpendiculo non ultra 10. gr. deflectit; *uena obliqua*, (*donlegter Gang*) cuius inclinatio ad horizontem est infra 80 et 60 gr. *uena aequa*, (*flacher Gang*) cuius inclinatio ad horizontalem est intra 50 et 20 gr. Vbi uero inclinatio uenarum est infra 20 gr. *pendentes* uel *dilatatae* (*schwebende Gänge*) nuncupantur, germanis nonnunquam etiam *Floeze* dicuntur.

DEFI-

DEFINITIO XXIV.

92. Quando uenae conuersionem ad mundi partes saepius mutant, *directio principalis* (*hauptstreichen*) appellatur, quae plerisque communis est.

CONSECTARIVM.

93. Ergo principalis directio, parallelismo plurium uenarum, in eandem mundi partem tendentium, obtinetur.

SCHOLION.

94. Venae, quae lapsu situm continue mutant, et modo erectae, modo obliquae, item in contrarias partes reflexae sunt, *praecipitatae* dicuntur. (*Sie stürzen sich und fallen wiedersinns*) et tales non tam ascensu descensuue, quam a conuersione in mundi partes nominari et distingui debent; tales sunt a, b, c, in fig. 24. vid. VOIGTEL. p. 120.

PROBLEMA XIV.

95. *Venarum situm inuestigare.*

RESOLVTIO.

1. Quando intra cryptas, quae uenas intersecant, hae iam manifestae sunt, applicatur utrique extremo, in iacente et pendente cauernae pariete, funiculus, et suspensa libella et compasso, tum inclinatio tum directio quaeritur.

2. Hinc inuestigata basi, pro angulo dato, etiam in ichnographia fodinae, loco sibi competente, linea quae situm uenae ob oculos ponat, ducitur; tales Fig. 20. occurrunt, quarum situm etiam in mensione cryptarum notaui. §. 59.

CONSECTARIVM.

96. Quando duarum uenarum situs intra terram sic innotuit, inde suspicio ducitur, utrum se sint secaturae, si con-

si continuentur; nempe uenae, quarum distantia infra minor, supra maior deprehenditur, quia conuergunt, se tandem secabunt; secus foret, si contraria earundem positio esset.

PROBLEMA XV.

97. *Inuenire directionem principalem uenarum.*

RESOLVTIO.

Vbi iam aperierunt uenam, et secundum eam specus cauarunt fossores, fiat eorum mensio, et ichnographia, et si quidem, prope eandem horizontalem lineam producantur, quaeratur directio principalis, ex plurium basium parallelismo.

SCHOLION I.

98. Reliqua et intricatiora de uenis capita, ut obliquitas earum, accessus ad easdem, et similia curiosus talium scrutator rerum, non tam figuris, quam descensu in fodinas, et uenarum, uariis reptatibus insignium, contemplatione, melius pleniusque intelliget. Itaque cum etiam ad hanc materiam ulterius colendam aditus a nobis paratus sit, ulteriorem huius argumenti explicationem, nec non de aquis ducendis doctrinam, cuius fundamenta alibi tradita sunt, mittam, et ad descriptiones fodinarum illustrandas progrediar.

SCHOLION II.

99. Enimuero, cum de ichnographia mensionis subterraneae et subdialis copiose supra §. 64. 67. 70. dictum sit, superest, ut de orthographia et scenographia agatur.

DEFINITIO XXV.

100. *Orthographia*, siue profilum, uocatur delineatio, qua mons, in quo fodinae actae sunt, quasi per mediam earum cauitatem sectus sistitur, ut superiorum et inferiorum cryptarum positio, quoad perpendicularem altitudinem, ob oculos ponatur.

PRO-

PROBLEMA XVI.

101. *Orthographiam fodinarum describere.*

1. Ducatur linea horizontalis O M, et super ea erigantur locis competentibus perpendicula O A, Q H, quibus puteorum altitudines normales A N, Q H scalae adminiculo exhibentur, et praeterea parallelis ductibus eorum amplitudines significentur.

2. Quando deorsum a cryptis uel cuniculis alii putei (*gesenke*) acti sunt, etiam ulterius eorum altitudines pingantur. Et profilum fodinarum erit descriptum.

DEFINITIO XXVI.

102. *Scenographia* fodinarum mensoribus nominatur delineatio, quae orthographiam iuxta ichnographiam iunctim refert.

SCHOLION.

103. Alias, apud scriptores opticos, scenographia, integri corporis et laterum eiusdem recedentium, seque contrahentium, picturam significat; uerum accipienda hic sunt uocabula, prouti mensoribus sunt usitata.

PROBLEMA XVII.

104. *Scenographiam fodinarum delineare.*

RESOLVTIO.

1. Describatur secundum leges supra traditas ichnographia IAKM. *Figur.* 11. *Tab.* 2.

2. Eidem subiiciatur orthographia AOM, et demittantur a puteis A, H, item loco terminato i, nec non cuniculi ostio M, rectae perpendiculares, ad horizontalem, quibus coniunctio partium illarum ob oculos ponatur, ita fiet scenographia.

SCHO-


SCHOLION

Figur. 25. 105. VOIGTEL. *p. 191.* desiderat etiam mensionis subdialis ichnographiam, et sequentes praescribit delineationis leges. 1. cryptarum, quae uenas *ab*, *cd*, *ef*, sequuntur, uestigium *abdef* pingit. 2. addit loca puteorum *gh*, *ik*, *lm*, qui super uenarum meatibus erecti sunt. 3. describit ichnographiam mensionis subdialis, *gop qrstu*, 4. quaerit lapsum et ascensus discrimen inter *a* et *m*, idemque scala assumit, et lineam *AB* horizontalem ducit. 5. Super hac horizontali erigit latera puteorum, secundum horam ipsis debitam, quando nempe obliqui sunt, ipsis uero lateribus *gw*, *ix*, *ly* tribuit altitudinem perpendicularem hypotenusae respondentem. 6. tandem, per puteorum summa, montis aream *wxy* ducit. Idem auctor recte monet, non melius intelligi scenographias, quam si corpori v. g. argillae uel ligno, scalae adminiculo, inscribantur, primum altissimi, tum etiam ceteri putei, deinde, per superiora eorum extrema, mensio supra terram, per inferiora, mensio subterranea continuentur; siquidem, facta corporis sectione transuersa, secundum cuiuslibet directionis horam, quaelibet crypta, uenaque, sito recto uel obliquo insculpi, atque ita fodinarum quarumuis positio ad uiuum ueluti repraesentari potest. De figuris in charta membranaue nitide exhibendis praecepta utilia exponit Dn. BEYER. *Geom. Subt.* *p. 224.*



VITEMBERGAE
EX OFFICINA SCHLOMACHIANA




Tabula II. Geom: Subterr.
10
13
12
22
11
Scala orgyarum.
5 10 20 30

Tab: III Geom. subterr.

